

1177 Inde ad maximam Divi Marci aram itum , ubi preciosissimam illam tabulam gemmis ornatam antea dicatam diximus , & quæ hodie inter publicos visitur thesauros . Hic quoque edito loco duo Christiani nominis Principes se invicem alloquentes suayissimum populo spectaculum præbuere . Addunt quidam , Pontificem quasi ita illum expiaturum , collo ipsius prostrati pedem imposuisse , cœpisseque interim Davidicum illud canere : *Super aspidem & basiliscum ambulabis* ; notum est carmen . Tum Fœdericum ingentes adhuc spiritus alentem , dixisse : *Non tibi , sed Petro* . Cui ille irato similis , impressa fortius planta ; *Et mibi & Petro* , responderit . Ferunt Dominicæ ascensionis die id factum : alii victoriam per eos dies partam affirmant , ac in tam fœlicis rei memoriam Pontificem sanxisse , ut quotannis statu die in ea æde plena omnibus , qui confessionem fecissent , pateret venia . Nec ita multis interjectis diebus Fœdericus Alexanderque , ut alii tradunt , Venetiis abidere : Veneti vero scriptores , aliquot post menses utrunque digressum memorant . Obbo Fœdericum terrestri itinere , Alexandrum Pontificem cum Ciano Principe navī , eodem tempore Anconem pervenisse scribit : ubi , quum tota civitas ad portum officii gratia effusa , publico nomine umbellas duas , unam Alexandro , alteram Fœderico obtulisset ; tum Pontificem jussisse ferunt , tertiam Veneto Duci afferri : ac coram permisisse , ut ipse & reliqui Duces ea perpetuo uterentur : quam nostra quoque tempestate solenni pompa cum reliquis ejus magistratus insignibus præferri videmus . Ubi vero Romam ventum est , ingenti quidem lœtitia Pontifex a suis exceptus , quum inter multa & varia officia argenteas quoque tubas esset intuitus , quarum cantu & clangore omnia circumstrebabant , ad eos conversus qui illi apparebant , ex ipsis tubis Veneto Duci in adeptæ victoriæ memoriam octo offerri jussit : quibus & ipsis perpetuo summus Venetorum magistratus uteretur . Scio ego non deesse , qui arbitrentur fuisse insignia illa aliunde quæsita : sed Veneti annales id quod diximus habent .

Cianus A.
lexandrum
Romam se-
cucus , ma-
gnisque ab eo
muneribus
donatus .

*ac , ut qui-
dam scri-
bunt , pedi-
bus ab eo
calcatur .*